



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Oliverii Florentii Waterloop Congreg. Oratorii B. Mariae
Aspricol. Presbyteri Monita Spiritvalia Et Moralia
Tetrastichis distincta**

Waterloop, Oliverius F.

Antverpiae, 1657

Titulus X. Promiſſio, Jusjurandu[m].

urn:nbn:de:hbz:466:1-9689

7. Qui se minores despicit,
Vel invidet majoribus,
Laudisve vendit præmio
Sapientiam, nondum sapit.

Qui ferre stultum non potest;
Qui criminis nescit metum;
Suadere qui quod vult nequit,
Habétne? non habet fidem.

Promissio. Jusjurandum.

1. **P**romitte pauca sobriè:
Promissa factis exhibe;
Ne decoloret posteram
Inanitas verbi fidem.

Quæ fructuosa, quæ pia,
Quæ justa sunt, quæ te decent,
Promitte lentè; at in malis
Rescinde promissis fidem.

Iurasse si quid impiè
Torqueris, aut gemis memor,
Servare noli; sit malis
Obliqua promissis fides.

Exolve quod promiseris:
Benignus esto supplici:
Audi quod ad te pertinet:
Frenos voluptati injice.

Deceatne te promittere,
Prænosce: quod verbo semel
Promiseris, facto exhibe:
Opus fidem verbo facit.

Cor extrahit spes anxia,
Votoque longo gaudia
Consumit: id ne differas
Præstare, quod sponderis.

Promittis, & præstas nihil?
Gratis videris ludere,
Nullisque nummis: quando opus
Finis coronabit tuum?

Tibi lingua vocis prodiga:
Operis manus parcissima?
Fac, aut tace: mendacii
Te segnis arguit manus.

2. Quod oderis, ne feceris:
Nil turpe disce, nil age:
Sectare quod rectum vides.
A jurejurando abstine.

Iurare noli: habeat tuis,
Quisquis volet, verbis fidem.
Quod dicis, hoc audit DEUS:
Sit hoc abundè testium.

Candore vitæ fac tuis
Sermonibus ratam fidem:
Iurare nolenti favet
Virtus, favetque veritas.

DEUM negat, qui dejerat:
Iurare formida, & cave.
Quod dicis ut persuadeas,
Fac moribus dicto fidem.

Quod excidit linguâ, quasi
Iuratus ut serves vide:
Peragit reum se, qui, alteri
Quod jurat, haud jurat sibi.

Effata

Effata jurantis viri
Haud sperne: ne perjurii
Videaris ipse conscius,
Idemque contemptor DEI.

3. Amico amicus nil negat,
Quod esse gratum noverit:
Inimicus est, quem, quo scatet,
Negasse amico nil pudet.

Quod ipsa donet æquitas,
Ratioque dicit, id pete:
Iniquus aut stultus petat,
Quod justus aut prudens neget.

Ab altero ne postules,
Quod alteri nolis dare:
Nec alteri quidquam nega,
Quod postules ab altero.

Si ne gravis sis alteri
Vereris, haud eris gravis:
Si ne molestus sis times,
Eris molestus nemini.

Vt sis molestus nemini,
Nullum arbitrare remedium
Præsentius, quam si tibi
Oculos & aures eruas.

Gratitudo.

I. **P**ost munus acceptum cave
Ne consenescat gratia:
Da tempore, & loco, & modo,
Quo jam fuit datum tibi.

Beneficium beneficio
Pro viribus remunera:
Hoc fraude munus accipis,
Quod sponte nolis reddere.

Da: nomen ingrati fuge.
Te largiorem vel bonus
Laudabit; unà cum bonis
Culpabit ingratum malus.

Ingratus ut ne sis, libens
Impendiosus audias:
Vix laudet ingratum malus;
Impendiosum etiam bonus.

Donata digno munera
Virtutem honorant, non virum:
Hic factus à te ditior
Plures juvabit indigos.

Thesaurus est magnus, viro
Locata gratò gratia:
Res parva tempore & loco
Donata, habetur maxima.

Thesaurus est, tibi debita
A fido amico gratia:
Datum redibit, aut tuo
Vinctum triumphas munere.

Valenter ingratus tuis
Supera animum beneficiis:
Vretur, & victus tibi
Se tradet, & reddet tua.

Est tempus unum, reddere
Quod ne quidem gratus potest:
Perire quod potuit semel,
Iterum perire non potest.

B b 2

Be-